

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 5: De aliis rebus

Caput 14: De conditione humana et brevitate huius vite (22)

Idem (Gregorius):

Homo folium dicitur quia temptationis vento rapitur,
et desideriorum flatibus movetur.

Contra folium quod vento rapitur.

Homo folium dicitur. qui temptationis vento rapitur.
et desideriorum flatibus mouetur.

Homo stipula appellatur,

quia per carnem terre proximus fuit,
etiam dum stare videbatur, stipula esse memoratur.
Sed quia viriditatem intimi amoris perdidit,
iam stipula sicca est.

Qui etiam stipula appellatur.

quia enim per carnem terre proximus fuit.
etiam cum stare videbatur: stipula esse memoratur.
Sed quia viriditatem intimi amoris perdidit:
iam stipula sicca est.

Glossa ordinaria, liber Iob, 13 (Biblia Latina cum glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).

Quid est enim homo nisi folium,
qui uidelicet in paradiso ab arbore cecidit?
Quid est nisi folium, qui temptationis uento rapitur
et desideriorum flatibus leuatur?
Mens quippe humana quot temptationes patitur,
quasi tot flatibus mouetur.
Hanc etenim plerumque ira perturbat;
cum recedit ira, succedit inepta laetitia.
Luxuriae stimulis urgetur,
aestu auaritiae longe lateque ad ambienda quae terrena sunt tenditur.
Aliquando hanc superbia eleuat,
aliquando uero inordinatus timor in infimis deponit.
Quia ergo tot temptationum flatibus leuatur et ducitur,
recte folio homo comparatur.
Vnde bene quoque per Isaiam dicitur:
*Cecidimus quasi folium uniuersi et iniquitates nostrae
quasi ventus abstulerunt nos.*
Quasi uentus quippe nos iniquitas abstulit,
quia nullo fixos uirtutis pondere in uanam elationem leuavit.
Bene autem post folium etiam stipula appellatur homo.
Qui enim arbor fuit in conditione,
folium a semetipso factus est in temptatione,
sed post stipula apparuit in deiectione.
Quia enim de alto cecidit, folium;
quia uero per carnem terrae proximus fuit,
etiam cum stare uidebatur, stipula esse memoratur.
Sed quia uiriditatem intimi amoris perdidit,
iam stipula sicca est.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 11.44 (CCSL 143, M. Adriaen ed.,
pp.619-20, ll.3-22).